

## Valahfridus – Wilfried Stroh:

### De Iano Novák musico Latinissimo

Bohumilae Mouchová collegae et amicae optimae libentissime hanc orationem dedico consecroque. Ianus Novák enim nos abhinc uiginti tres annos inter nos primum quasi conunxit. Nam cum AD MCMLXXX Pragae iterum post longum interuallum ederetur ille *Ignis pro Ioanne Palach*, quem Ianus ad celebrandam memoriam herois Bohemi fecerat, rogauerunt me homines teleuisionarii, ut in Oeco Smetanae Pragensi pauca de musico et opere praefarer. Quod cum Bohemice facere nec uellem nec possem, Bohumila ex tempore ut aiunt mea uerba Latina transtulit, quamquam numquam antea in tanto coetu hominum – fuerunt autem circiter duo milia auditorum – se dixisse meminerat. Fecit autem optime. – Orationem autem, quam scriptam legitis, habui a.d. IX Kal. Apr. AD MMXI in Campo Sancto Teutonico, quae pars Vaticani est, ad ornandos *Dies Latinitatis Vivae*, quos Iulia comes de Montgela et Henricus Heidenreich collegae Moguntiacenses instituerant. Licuit tum mihi ad uerba illustranda subiungere aurbus exempla musica, quae nunc eheu in oratione scripta desunt. Ignoscat Bohumila!

Quid gratius, quid optatius possit esse quam de Iano Novák dicere Latine? Quid etiam accommodatius? Neque enim inde a dissolutione imperii Romani ullum fuisse musicum Latiniorem existimo. Ita est profecto. Vt Ricardus Wagner olim in funere Caroli Mariae Weber exclamauit: „Numquam fuit musicus Germanior quam tu“, ita me iuuat dicere: „Numquam fuit musicus Latinior quam Ianus Novák.“

Dixerit quispiam: Quid? Tu nescis plurimos et eos quidem optimos musicos Orpheum Ouidianum secutos illustrissima cantica Latina cecinisse siue scripta edidisse? Visne obtrectare summis ingeniis ut Palestrinae, Bachio, Mozartio, Beethouenio, etiam Brittenio, Orffio, Pendereccio, aliis non paucis? Quorum nomina orbis terrarum nouit, cum tuum Ianum Novák admodum pauci amici et cultores sane eruditissimi admauerint?

Quibus facile respondeo: Non equidem ignoro et ab his et ab aliis clarissimis musicis Latinos quoque interdum foetus editos esse idque eis etiam satis bene successisse. Tamen ego meo iure defendo neminem eorum ad Latinissimi musici titulum tanto merito adspirare quam illum Ianum Novák.

#### *Ianus Novák quare Latinissimus*

Quod ut comprobem, triplicem uobis causam affero, cui, si uultis, plures addere libeat. Ac primum quidem quis non nouit eorum opera quos dixi non quidem omnia, sed plurima fuisse ecclesiastica, a Latinitate classica igitur aliquantum remota? Quorum maxima pars caret certis pedibus, ut *Stabat mater* aut *Dies irae*, magna pars ne rhythmos quidem habet, ut *Credo in unum Deum* aut *Requiem aeternam*. Nimirum non nego ea esse pulchra – quid enim dulcius inuenias quam illam sequentiam

*Stabat mater dolorosa,  
iuxta crucem lacrimosa? –*

sed si quis musicus semper in his paucis cantilenis consecratis uersetur, eum possis sane pium dicere ac Christianum, certe non Latinissimum. Contra Ianus Novák, quamquam et ipse *Missam* fecit et *Stabat mater* multosque hymnos Christianissimos, ut qui religioni catholicae deditus esset, minime tamen contentus erat his thesauris sacris, sed longius euagabatur ad peragrandam *Auia Pieridum loca* ... (ut ait Lucretius).

Venio ad secundum locum. Ianus Novák nec sat habebat mediaeualia tractare (ut plurimi) neque, quod pauciores ausi erant, classica quaedam Catulliana aut Horatiana sibi excerpere, sed omnis uetustatis saecula a Plauto usque ad Claudiani aetatem perscrutatus coronam hinc illinc sibi pulcherrimam colligebat, cui e recentissimis quoque temporibus flores uenustos adpersit. Ac ne hoc quidem satis erat: Ipse etiam sibi scripsit poemata noua quae nouis inuentionibus musicis apta essent. Nemo umquam musicus tantam multitudinem poetarum Latinorum complexus est, nemo ne paululum quidem assecutus est hanc copiam Novacianam.

Quid? Multitudine tantum scriptorum, quos tractauit, Ianus Novák ceteros uincit? Nolite id credere. Multo maius est – id autem fuit tertium –, quod ille unus e musicis diligentissime in naturam atque indolem Latinae linguae inquisiuit eiusque leges penitus perspexit. Id quod maxime ad syllabas et uersus pertinet, de quibus recte tractandis etiam totum librum sub titulo *Musica poetica Latina* conscripsit.<sup>1</sup> Haec enim prosodiaca et metrica a plurimis musicis turpiter neglegi solent. Vt Mozartius puer in fabula musica *De Apolline et Hyacintho* trimetros ita modulatur, ut solum accentum uerborum respiciat, dimensiones syllabarum contemnat:

*o pétat! habebit ómne quod pectus cúpit q, q q www, q q www, q q*

Non pessime id quidem, sed gratia trimetri omnis periit. Quid quod alii hic etiam peius peccare uoluerunt. Vt Carolus Orff, qui felicissimus fuerat in *Carminibus Buranis*, nempe mediaeualibus, in *Catulli Carminibus* classicis et metricis paene naufragium fecit. Audite notissimum exemplum celeberrimi carminis *Odi et amo*:

Carolus Orff e *Catulli carminibus* (1943):  
Catullus, *Odi et amo* (c.85)  
distichon elegiacum

*Odi et amo. Quare id faciam, fortasse requiris?  
Nescio, sed fieri sentio et excrucior.*

Nemo, cui pectus sit, negauerit sensum uerborum ab ingenioso musico hic apte expressum esse, sed distichi elegiaci ne uestigium quidem superest. Post *Odi* hiatus est pro elisione. In *amo* uocalis *a* in immensam tonorum uarietatem producitur; in *quare id faciam fortasse requiris* omnes syllabae aequantur et quasi in tripudium coguntur. Quo fit ut etiam accentus, quem Mozartius tamen seruauit, uioletur: Pro *fortásse* audimus *fórtasse*, e *requíris* fit *réquiris*. Sui eheu animi numeros sequitur Orffius, non Catulli. In quem Ianus Novák olim hoc lusit:<sup>2</sup>

*Nobis ex Orpheo tantum remansit Orff,  
multos Latinos fecit qui suaues modos.  
In his at unam seruat regulam: nihil  
Donati regulam ualere in musica.*

Suauitatem modorum iustissime agnoscit et laudat; uitium grammaticae, cuius custos Donatus putatur, aequo iure reprehendit.

#### *De musicis humanistis Iani Novák praecursoribus*

At rectiorem uiam iam monstrauerant humanistae illi, qui saec. XVI odas Horatianas et alias suis modis ornauerunt.<sup>3</sup> Hi enim, cum e Quintiliano didicissent longas syllabas duplum ualere, breues simplum, ut illae essent binorum temporum, hae singulorum, hanc rationem in suos numeros musicos transtulerunt.

Vt in strophis alcaicis:

*Vides ut altum*                      unum duo unum duo duo  
*stet niue candidum*                duo unum unum duo unum unum (siue duo).

Sic singulis strophis Horatianis, alcaicis, sapphicis, asclepiadeis ceteris suos peculiare modos adaptabant, qui tamen sensui uerborum non obsequabantur, sed semper quasi immobiles

<sup>1</sup> Jan Novák: *Musica poetica Latina - De versibus Latinis modulandis* edidit, praefatus est, versione Germanica commentarioque instruxit Valahfridus, Monachii 2001 (opus prostat uenale apud *Antike zum Begreifen*: <http://www.antike-zum-begreifen.de>).

<sup>2</sup> In: *4<sup>ème</sup> Congrès pour le Latin vivant, Avignon du 1<sup>er</sup> au 3 Avril 1969*, s.l., s.a. (Avignon 1969) p. 179.

<sup>3</sup> Multa de illis scripta inuenies in Wikipedia s.v. „Petrus Tritonius“: [http://de.wikipedia.org/wiki/Petrus\\_Tritonius](http://de.wikipedia.org/wiki/Petrus_Tritonius)

rigidique eidem manebant. Horum agmen duxit olim Petrus Tritonius, Conradi Celtis P.L. discipulus, quem secuti sunt nobiliores ut Ludouicus Senfl, Paulus Hofhaimer. Audite exemplum Tritonii (qui talium *odorum humanisticarum* q.d. archegetes habetur):

Petrus Tritonius e *Melopoeis* (impr. 1507)

Horatius, carm. 1,9, 1-12

strophe alcaica

a q w q q q ww q wx

a q w q q q ww q wx

a q w q q q w q x

q ww q ww q w q x

Vides ut alta stet niue candidum  
Soracte nec iam sustineant onus  
siluae laborantes geluque  
flumina constiterint acuto?

Dissolue frigus ligna super foco  
large reponens atque benignius  
deprome quadrimum Sabina,  
o Thaliarche, merum diota.

Permitte diuis cetera, qui simul  
strauere uentos aequore feruido  
deproeliantis, nec cupressi  
nec ueteres agitantur orni.

Non optime fecisse mihi uidetur is cantantium chorus<sup>4</sup>, quem audiistis. Debit enim sua sponte eam uim uerborum in pronuntiatione supplere, quam musicus suis modis consulto non addiderat. Musicus tantummodo uoluerat numeros metricos diligentissime exprimere, cetera cantoribus reliquit. Quare tales modi interpretum mollium et quasi histrionum artem poscunt. Alioquin uide ne ex hac aequabilitate siue monotonia taedium existat.

Audite contra Ianum Novák. Qui non minus sedulo rationem syllabarum breuium et longarum obseruauit, sed tamen effecit, ut unum quodque carmen suum proprium characterem haberet et singulae quoque strophae inter se accommodate ad sensum uerborum differrent. Velut in hac ode prima et secunda strophae fere isdem modis cantantur, quietis sane et quasi torpentibus, nempe in quibus de hieme agatur et de remediis frigoris. Contra in tertia, ubi poeta potestatem et arbitrium deorum celebrat, manent quidem numeri, cantus modulationis tamen aliquanto est agitatior et grauior.

Ianus Novák e *Seruato pede et pollicis ictu* (1972), op. 30<sup>5</sup>

Horatius, carm. 1,9, 1-12 (ut supra)

Ceterum Ianus in numeris non usitatos sequitur *tactus* quos dicimus, nempe ut omnia fere in quaternas aut ternas partes rhythmicas aequales discedant, sed plerumque septem partes ponit (qui nunc dicitur *Siebenachteltakt*) admixtis interdum etiam sex partibus. Neque hoc suo arbitrio, prout libet, fingit, sed utcumque ipius carminis ratio ac natura poscit.

Nam haec ipsa fuit causa, cur musurgi siue compositores illam rationem *humanisticam* q.d. post saec. XVI desererent: Modi Horatiani, si illos diligentissime obserues, in certos aequalesque *tactus* siue partes cogi non queunt. Musica noua autem, quae saeculo praeterito se his uinculis liberauit – cogitate de Bartocio, Strauinscio multisque aliis – ea musica inquam nouata et quasi emancipata etiam uetustos illos numeros lyricos libentius ad semittere poterat. Quod tamen fere unus uidit Ianus Novák.

<sup>4</sup> Heidelberger Madrigalchor, moderante Kegelmann.

<sup>5</sup> *Seruato pede et pollicis ictu: 9 ode oraziane messe in musica*, 1972. Numerus operum Novacianorum sumitur ex *Operum Conspectu*, qui infra inter libros (siue in bibliographia) indicatur.

*Quomodo musicus Morauus Latinas litteras adamare coeperit*

Sed iam de uita Iani Novák pauca uobis dicam oportet. Est autem omnis diuisa in duas partes, quarum prima in patria uersatur, i.e. in Morauia siue Bohemoslouacia, secunda in exilio primum Italico, deinde Germanico. Natus est a. MCCCCXXI in uiculo quodam Morauiae, educatus in Iesuitarum gymnasio propinquo, ubi antiquas litteras didicit necdum tamen Latinae linguae amore tactus est. Contra musicae studio iam paene infans ardebat, quare, cum adoleuisset, his artibus studuit et Brunnae et Praegae. Ac primum opus Latinum edidit XXVI annos natus: *Carmina Sulamitis* (op. 7) ad uerba e *Cantico Canticorum*, opus sane floridum ac uenustum, a Latinae linguae genio tamen aliquanto remotius, si cum posterioribus compares. Postea in America discipulus fuit Aaronis Copland et Bohuslauii Martinů, quem ut dulcissimum et quasi diuinum magistrum semper colebat. Reuersus in patriam, quae interea a communistis tyrannice regi coeperat, Elissam uxorem duxit, quae filias ei duas peperit, uictum sibi suisque ex operibus musicis quaerebat. Nam communistas quidem oderat idque interdum etiam publice professus est – tamen modi eius musici tam grati erant ciuibus, ut uiuere inde in ipsa tyrannide satis commode posset.

Necdum haec eius opera tum erant Latina. Sero ac subito enim illum media uita, cum fere XXXV annos natus esset, quasi diuinitus amor Latinitatis corripuit. Neque eum tam eloquentia Tulliorum aut sapientia Senecarum grauitasque Tacitorum cepit quam ipsa suauitas linguae uenustissimae numerique poetarum. Neque id mirum in musico, qui statim sensit in hac ueterum numerositate inesse aliquid noui, quo ipse Musas recentissimas locupletare posset. Nec tantum cantica tum modulabatur ad uerba Horati, Vergili, Catulli, Sulpiciae, nouorum quoque quorundam, sed etiam loqui Latine cum amicis coepit et ipse Latina condidit carmina – quid dico condidit? Etiam in publicum edere ausus est. Quod certe ante eum nemo musicus fecerat. Nec sane ualde grata fuerunt haec studia Latina dominis communisticis, quibus etiam soni iazzici et dodecaphonici displicebant, quos Ianus admiscebat suis modis, nempe ut suum animum propensum ad occidentales Musas uideres.

*De musico Latino exule*

Venit annus ille fatalis MDCCCCLXVIII, quo *Ver Pragense* quod uocabatur, a cataphractis souieticis crudeliter extinctum est. Ianus Novák, qui tamquam in prima acie pro libertate et patria pugauerat, se iam satis tuto manere in Bohemoslouacia oppressa non putauit, uasa collegit, cum uxore et filiabus e patria fugit, primum in Germaniam. Tum autem, ut Bohemoslouaciae cladem comploraret, scripsit ad suos hendecasyllabos *Ignem pro Ioanne Palach* (op. 46), quae est, ut ipse dicit, „cantio uocum instrumentorumque in memoriam herois iuuenis qui primus se pro patriae salute combussit“; multaque alia annis sequentibus fecit contra oppressores libertatis, e quibus fortasse plurimis innotuit *Furens tympanotriba* carmen eloquentissimum, quod etiam in certamine poetico praemio ornatum est.<sup>6</sup>

Nec tam amice, eheu, acceptus est a nobis Germanis quam sperauit. Opera eius musica, quae in Bohemoslouacia floruerant, in patria nostra admodum paucis innotuerunt. Quid mirum? Latinistis ille hospes Morauus nimis musicus uidebatur, musicis nimis Latinus. Vnum tamen annum uictum ei praeiuit Arhusa in Dania, tum ad se uocauit Italia Latinae linguae patria ac patrona. Roboreti (quae urbs Italice est *Rovereto*) cum suis octo annos habitabat, in schola musica docebat; ubi chorum illum *VOCVM LATINARVM* condidit, quem etiam Paulus VI. sanctissimus papa ad se uocauit. Plurima opera eo tempore edebat tam Latinis uocibus quam instrumentis apta. Nam fuga illa e patria, quae uitam eius crudeliter

<sup>6</sup> Edidit Academia regia disciplinarum Nederlandica Amstelodami, 1970; de quo carmine scripsit Dirk Sacré in: *Kleio*, n.s. 14, 1984, 73-81.

disturbavit, arti operibusque musicis minime nocuit, ut de exilio suo Ouidianum illud dicere posset:<sup>7</sup>

*ingenio tamen ipse meo comitorque fruorque:  
Caesar in hoc potuit iuris habere nihil.*

Inopia uictus denique etiam Italiam relinquere coegit. Migravit igitur cum suis Neo-Vlmam in Germaniam, quam ut nebulosam atque horridam quasi aliquam Scythiam oderat. Hic tamen ei tandem in Academia Musica Stutgardiensis aliquis locus datus est, ubi doceret, augerique coepit eorum numerus qui opera eius studiosius audirent. Profuit autem non nihil quod in Conuentu omnium gentium Latino Treuirensi anno 1981 exhibita sunt eius *Aesopia* (op. 2) ad apologos Phaedri composita. Ea enim popularia maxime iuuentutisque grata sunt.

Tum autem mihi ipsi Fortuna miro fauore amicitiam Iani Novák afflavit, ut illud sentirem: *Vt uidi, ut perii*, aut potius: *Vt audiui, ut perii* ... Quamquam perbreue tempus hoc consortio ut fruerer contigit: Duobus annis post semel una in Virtembergia edidimus *LVDOS LATINOS*, qui tam musicis artibus quam Latinis litteris dedicati erant. Paulo post Ianus Novák, cum in grauissimum morbum incidisset, uita defunctus est. Quod cum audissem meque Statio radiophonica Bauarica ad breuem laudationem funebrem uocauisset, hos in uersus alcaicos erupi:

*Eheu, Latine, heu rumpere, barbite!  
frusta huc et illuc disice tinnula!  
Ianus iacet: fregisse docta  
pectra fidesque iuuat sonoras.*

#### *De liberae rei publicae Musa modis illustrata*

Nunc autem quoniam exspectare uos scio, ut musica Nouaciana uobis plura proponam, non sequar eum ordinem qui solitus ac tritus est, scilicet ut uos iterum per uitam eius serie temporis ducam prioribus posteriora opera adiungens, sed quoniam apud Latinarum litterarum amicos dico mihiq; proposui demonstrare uobis musicum Latinissimum, ipsius linguae Latinae litterarumq; fata atque historiam persequi constitui

*... primaque ab origine Musae  
ad mea perpetuum deducere tempora carmen.*

Graecos tamen omitto, quamquam eis quoque Ianus senex aliquam operam dedit, incipiam ab incunabulis Latinae Camenae. Vetustissima, ut nostis, nobis perierunt. Primus omnium quorum opera tota seruata sunt Plautus est comicus. Qui dudum debebat ad se uocare musicos. Quis enim nescit maiorem aut certe dimidiam partem Plautinarum fabularum constare e canticis ueris, ad tibiam editis. Nonne erat operae pretium hos *numeros innumeros*, quos ueteres laudauerunt, reuocare ad scaenam et musicam? Nemo adhuc ausus est. Ianus quidem uolebat idque erat in eius consiliis unam comoediam Plautinam totam – proposuerat autem sibi *Menaechmos* – ita scaenae mandare, ut fieret *broadway musical*, i.e. *fabula Viae Latae apta*, in qua diuerbia dicerentur Anglice (aut Germanice), cantica autem Latine cantarentur, ad ipsos ueros numeros Plautinos. Mors importuna id prohibuit, sed tamen unum superest quasi specimen paruum huius artis. Nam in *Curculione* Plautina inest paraclausithyrum, quod amator cantat – non tam ut amica se admittat, quam ut pessuli i.e. forium repagula sese sponte aperiant illamque emittant. Hic Ianus fidelissime pedes creticos seruauit, ut tactus fierent quinquorū temporum: duo, unum, duo. Audite:

*E Canticis latinis* (1985), op. 6<sup>8</sup>

<sup>7</sup> trist. 3,7,47 sq.

Plautus: *Pessuli* (Curculio 147-150)  
 stropha e XVI creticis  
 q w q q w q q w q q w q .....  
 Pessuli, heus, pessuli, uos saluto lubens,  
 uos amo, uos uolo, uos peto atque obsecro:  
 gerite amanti mihi morem, amoenissumi,  
 fite causa mea ludii barbari.

Hi numeri uobis fortasse paululum exotici uidentur, sunt tamen Plautini maxime. Vos autem, animum attendite, musici, hoc exemplum proponite uobis et imitamini!

Iam ad ultima tempora liberae rei publicae uenimus. Vbi inter lyricos unus eminet Catullus, cuius non solum Aeolii uersus, sed etiam Phalaecei olim, puto, cantabantur. Nec miramur eum Catullum etiam Iano Novák in deliciis fuisse. Iam inter prima opera Latina, quae scripsit et cum amicis exhibuit, erat *Passer Catulli*, nouem instrumentis unique uoci grauiori destinatus. Atque hi phalaecei in certos tactus q.d., ut cretici illi tetrametri, diuidi non queunt: spondeum et dactylum, qui sunt quaternorum temporum, sequuntur tres trochaei qui terna habent tempora. Sed haec in opere musico tam expedite et quasi naturaliter fluunt, ut uarietatem animo uix notemus. Nolite terreri: opus est dodecaphonicum (more Schoenbergiano e XII tonis compositum), quo Ianus moribus siue genio sui saeculi obsecutus est, contra praecepta quae tum in terris socialisticis ualebant. Audietis primam partem quae est breuissima:

*E Passere Catulli* (1962), op. 25<sup>9</sup>  
 Catullus, carm. 2  
 phalaecei (hendecasyllbi)  
 u q q ww q w q w q x

Passer, deliciae meae puellae,  
 quicum ludere, quem in sinu tenere,  
 cui primum digitum dare appetenti  
 et acris solet incitare morsus,  
 cum desiderio meo nitenti  
 carum nescioquid libet iocari  
 et solaciolum sui doloris –  
 credo tum grauis acquiescat ardor :  
 tecum ludere sicut ipsa possem  
 et tristis animi leuare curas!

Nunc autem ipsi id carmen cantare conabimur, non dodecaphonice, sed simpliciter et tonaliter, ut aiunt. Nam *Cantica Latina*, quod Iani ultimum opus est, a me post mortem editum, non eis scripta sunt qui artem cantandi profitentur, sed nobis idiotis, qui interdum animi causa cantamus (praesertim in balneo). Ego uoce praeibo, uos me sequemini:

*E Canticis latinis* (1985), op. 6  
 Catullus, carm. 2 (ut supra)

Catullum inimicissimum diu fuisse Caesari quis nescit? Quem ne Gallicae quidem illius uictoriae ab acerbis iambis auocauerunt. Audiatur igitur et altera pars! Caesarem ipsum auscultabitis a choro puellarum puerorumque celebratum. Id quod Ianus certe contra morem antiquum fecit. Vt enim omnia carmina olim cantari potuerunt, sic prosa semper modis musicis caruit. Nam quomodo id cantes, quod certos pedes uersusque non habeat? At Ianus per iocum id ipsum ausus est Caesarisque syllabas modo corripiendo modo producendo in

<sup>8</sup> *Cantica Latina: poetarum veterum novorumque carmina ad cantum cum clavibus*, 1984 (edita post Iani mortem 1985).

<sup>9</sup> *Passer Catulli: parvus ludus musicus de vita et morte passeris super carmina duo Catulli celeberrima nouem instrumentis et uoce graui modulandus*, 1962

numeros quosdam coegit, ad quos milites Romanis passibus aequatis ingredi possent. Audite et ridete!

E *Schola cantante* (1973), *op.* 29<sup>10</sup>  
*De bello Gallico* 1,1 [pars]

Gallia est omnis diuisa in partes tres,  
 quarum unam incolunt Belgae, alteram Aquitani,  
 tertiam qui ipsorum lingua Celtae,  
 nostra Galli appellantur.

Eadem uiolentia qua Caesar Galliam, Ianus Caesarem oppressit. Sed omittamus iocosa, ueniamus ad magis seria!

### *De aetatis Augustae poetis*

Iam enim in aetatem illam Augustam ingredimur, quae poetas optimos, immo aureos, ut dicunt, tulit. E quibus elegiacos Ianus Novák paene neglexit, nimirum quod pentameter modis musicis non tam facile accommodari solet. Desideras igitur in eius operibus Tibullum, Propertium, deest etiam, quod magis doleas, Ouidius Naso; unius *Amores Sulpiciae* (*op.* 3) Ianus choro puellarum cantandos dedit – sed quam suauibus modis! Aptiores ei uidebantur Vergiliani hexametri, quos iam antiquis temporibus et cantatos esse et saltatos traditum est. Nunc quoque saltatricem aliquam poscit *Mimus magicus* (*op.* 18) ad uerba eclogae octauae; ego etiam magis admiror *Fugas Vergilianas* (*op.* 13), in quibus Ianus suos casus – nam fugerat, ut nostis, e patria – cum eis coniunxit, quae Vergilius in *Bucolicis*, *Georgicis*, *Aeneide* de fuga dixerat, quos uersus Ianus in formam *fugae*, quam musici uocant, redegit.

Aliud uobis dabo profugorum exemplum sumptum ex *Didone* (*op.* 10) ad Vergili uerba facta. Vt profugus e patria erat Aeneas, ita etiam profuga Dido: ille Troiam, haec Tyrum reliquerat. Ianus igitur, quasi fatum suum praesentiret, iam anno antequam de patria cedere coactus est, ad uerba quarti libri *Aeneidos* *Didonem* composuit et publice egit.<sup>11</sup> In qua symphoniaci accinentibus tres audiuntur personae: Dido media uoce suos dolores profitens, narrator sine cantu res gestas referens, chorus uirorum misera fata Didonis uerbis Vergili complorans. Multi musici iam hanc fabulam tractauerunt – nemo, puto, melius.

Audite igitur *Didonem* execrantem perfidum amicum:

Idem e *Didone* (1967)  
 Vergilius, *Aeneis* 4, 584-591; 607-621 hexametri

#### RECITATOR

Et iam prima nouo spargebat lumine terras  
 Tithoni croceum linquens Aurora cubile.  
 regina e speculis ut primum albescere lucem  
 uidit et aequatis classem procedere uelis  
 litoraue et uacuos sensit sine remige portus,  
 terque quaterque manu pectus percussa decorum  
 flauentisque abscissa comas 'pro Iuppiter, ibit  
 hic' ait 'et nostris inluserit aduena regnis?'

#### DIDO

Sol, qui terrarum flammis opera omnia lustras,  
 tuque harum interpres curarum et conscia Iuno  
 nocturnisque Hecate triuuis ululata per urbes,  
 et Dirae ultrices et di morientis Elissae,  
 accipite haec meritumque malis aduertite numen  
 et nostras audite preces. si tangere portus

<sup>10</sup> *Schola cantans: graves auctores Latini leviter decantandi*, 1973

<sup>11</sup> *Didone: Narratio, cantica, lamenta ex Vergilii versibus composita uocum sonis instrumentorumque discripta*, 1967

infandum caput ac terris adnare necesse est  
 et sic fata Iouis poscunt, hic terminus haeret:  
 at bello audacis populi uexatus et armis,  
 finibus extorris, complexu auolsus Iuli  
 auxilium impleret uideatque indigna suorum  
 funera; nec, cum se sub leges pacis iniquae  
 tradiderit, regno aut optata luce fruatur,  
 sed cadat ante diem mediaque inhumatus harena.  
 haec precor, hanc uocem extremam cum sanguine fundo.

Sed nos denique ad laetiora ueniamus. Aeque amore ac Vergilium Ianus Novák adamauit Horatium, qui ipse esse uoluerat *Romanae fidicen lyrae*,<sup>12</sup> i.e. poeta simul et musicus. Perierunt quidem illi cantuum modi, quibus chorus olim *Carmen saeculare* cantauerat, ut eheu omnis Romana musica periit, sed restant adhuc numeri, quibus uates ille gloriabatur, cum se *principem* dixit *Aeolium carmen ad Italos deduxisse modos*.<sup>13</sup>

Saepissime Ianus uocis cantu pedes Aeolios expressit – unius odae particulam iam audiuitis –, sed illi modi tantopere ei placuerunt, ut eos etiam ad instrumenta siue organa transferre uellet, ad citharam, ad clauas, ad chorum fidium. Vos nunc audietis e *Cithara poetica*<sup>14</sup> carmen alcaicum, cuius titulus est *Ad Apollinem*, quod elegi non solum quod dulcissimum est, sed etiam quod citharae maxime idoneum. Scitis enim Phoebum Apollinem citharoedum esse, fidibus canorum. Haec autem ode omnem festiuum strepitum chordarum uberrime explicat.

*E Cithara poetica* (1977), op. 9  
 Hor. carm. 1,31  
 strophe alcaica (u. supra)

Quid dedicatum poscit Apollinem  
 uates? quid orat de patera nouum  
 fundens liquorem? non opimae  
 Sardiniae segetes feracis eqs.

Atque hic Ianus modos alcaicos fidelissime seruauit. In aliis autem maiore licentia ludit, ut magis populari carmine iuuentuti iucundior existat. Quod non semel fieri uidemus in illo florilegio, quod *Schola cantans* appellatur quodque cum choro suo *VOCVM LATINARVM* in phonodiscum transtulit. Hic semel Ianus ipse personam Horati agit, in epodo XV, ubi ira et dolore incensus de perfidia Neerae suae conqueritur, hexametris iambicisque dimetris inter se alternantibus. Audite tantum primos uersus!

*E Schola cantante* (1977), op. 29  
 Horatius, epod. 15,1-4  
 hexameter et dimeter iambicus  
 q y q y q y q y q y q x  
 a q w q a q wx

Nox erat et caelo fulgebat luna sereno  
 inter minora sidera,  
 cum tu magnorum numen laesura deorum  
 in uerba iurabas mea ...

### *De Latinitate sera et mediaeuali*

Sed iam praeterierunt aurea illa tempora; ad uilius metallum, argentum scilicet, redacti sumus. Tamen haec quoque Caesarea aetas quae dicitur bonos tulit poetas, quos Iani Musa minime contempsit. Phaedri apologos siue fabulas Aesopias ille in scaenam uocauit, Martialem ad

<sup>12</sup> carm. 4,3,23

<sup>13</sup> carm. 3,30,13 sq.

<sup>14</sup> *Cithara poetica*, 1977



citharam ludere uoluit, uersus Pompeianos e parietibus mutis ad sonos euocauit. Senecam tragicum cothurno musico restituit – opus tam luctuosum quam admirabile, qui inscribitur *Planctus Troadum* (op. 29).

Nec defuit hilaris Musa seu potius Prosa hilaris. Nam – quis credere possit? – ipsum Apicium, culinae Romanae artificem, secedere iussit ab ollis suis et liquamine, ut sua ad citharae cantum ederet praecepta. Mirum uidebitur uobis, quem ad modum Ianus Novák in ipsa prosa numeris carente et efficiat numeros quosdam et tamen syllabarum quantitates, quantum fieri possit, respiciat. Audietis *Lucanicarum confectionem* – quod est genus farciminis – in qua primum condimenta teruntur, tum coniunguntur cum carne; ea denique intestinum farcitur, quod fit per iocosissimam *fugam: Farcies intestinum ...* Opus est plenum dissimulationis siue ironiae lepidae, quoniam Ianus Novák res uilissimas magna pompa musica, quasi grauissimae sint, exornat. Vt cum farcimen bene fartum ad fumum suspenditur, audimus suspirium suspensi hominis in mala cruce ultimum flatum exspirantis. (Quo loco iocose imitari uidetur Ricardi Strauss *Tillium Eulenspiegel*.)

Ex *Apicio modulato* (1971), op. 4<sup>15</sup>  
Apicius 2,4: *Lucanicae*

Lucanicarum confectio: teritur piper cuminum satureia ruta petroselinum,  
condimentum baccae lauri liquamen et admiscetur pulpa bene tunsa,  
ita ut denuo bene cum ipso subtrito fricetur.  
Cum liquamine adiecto pipere integro et abundanti pinguedine, nucleis.  
Farcies intestinum perquam tenuatim productum.  
Sic ad fumum suspenditur.

Sera quoque Latinitas, sera, non effeta, strenuos genuit poetas, quos Ianus, quoniam parum noti sunt plerisque, mira curiositate ipse indagauit atque expiscatus est: e profanis inter alios Ausonium, Claudianum, quorum uterque insolitos numeros excogitauit, e sacris Hieronymi Vulgatam, Ambrosi hymnos, Boetium quoque. Qui quamquam metricis uinculis suos uersus alligauerunt, tamen interdum iam quasi praeludere uidentur Medio aeuo, quo e pronuntiatione neglecta seu uitiosa nouum genus effloruit rhythmorum, quod suam habet dulcedinem popularem magis quam eruditam. Ne hos quidem poetas, qui e magna parte sine nomine traduntur, Ianus neglexit, in quibus nonnumquam ueteribus traditisque melodiis usus est. Vnum uobis propono suauissimum et blandissimum canticum, quo Angelus loquitur ad Mariam uirginem:

E *Canticis nataliciis* (1970), op. 37<sup>16</sup>  
Anonymus: *Angelus ad uirginem* (saec. XIII), str. 1  
rhythmi (2 x [7 + 7]; 8 + 8; 11 + 6; 7 + 6 syll)

Angelus ad uirginem subintrans in conclaue  
uirginis formidinem demulcens inquit ,Aue!  
Aue regina uirginum, caeli terraeque Dominum  
concipies et paries intacta salutem hominum,  
tu porta caeli facta medela criminum.’

Nonne sunt iucunda haec homoeoteleuta mediaeualia, non antiqua: *conclaue – aue; Dominum – hominum ...?* (Quae Ianus tamen more antiquo pronuntiare uoluit, sed ei non omnes cantores obsequuntur.) Sunt multa talia etiam carmina profana; sed e sacra poesi natum est opus omnium amplissimum, quod Ianus fecit, *Dulcitiis* (op. 43), fabula musica, scaenae adaptata. Scripserat illam Rosuita monialis Gandershemensis, poetiarum Germanarum princeps, cuius fabulae argumentum quamquam sumptum est e uitis sanctorum, est tamen facetiarum plenum et iocorum.

<sup>15</sup> *Apicius modulatus: artis coquinariae praecepta modis numerisque instructa ad cantum cum cithara*, 1971

<sup>16</sup> *Canti natalizi: veteres melodiae Latinae*, 1970

*De noua ac uiua Camena*

Sed ad tempora recentia properamus. Ei autem poetae nobilissimi, qui inde a tempore renescentium litterarum in Parnasso Latino fuerunt, plurimis nunc ne nomine quidem innotuerunt, nedum eorum carmina uiderint aut legerint. Quo magis admirandum est, quae sollertia et, quod maius est, quo iudicio Ianus eorum delicias e bibliothecarum tenebris euocauerit suaque arte in luce illustrissima collocarit. Quam pauci nunc legunt Iouianum Pontanum, Nicolaum Arcensem, Georgium Buchananum, Paulum a Gisbice, e recentioribus Christianum Klotzium, Ioannem Pascoli, Hermannum Weller! Ex his aliisque optima quaeque Ianus elegit modisque instruxit. Tria tantum uobis e magna copia exempla proponam, quorum duo sunt metrica, unum rhythmicum (nam haec duo genera carminum inde a medio aeuo usque ad nostram aetatem perstiterunt, alterum magis nobile, alterum humilium, sed iucundum). Poeta elegantissime metricus fuit Ioannes Campanus Vodnianus Bohemus, qui tamen suis metris admiscuit suauitatem homoeoteleutorum, quae alioquin in rhythmis magis inueniri solent. Fecit autem uariis uersibus paraphrases in *Canticum canticorum*, unde audietis carmen trochaicum, quod habet aliquam similitudinem cum *strophae uagantium* q.d.: Canticum est dodecaphonicum, opus iuuenile igitur (cuius in secundo uersu cantor Coreanus paululum peccat):

Ioannes Campanus Vodnianus  
E *Dulcibus cantilenis* (1961), op. 42<sup>17</sup>  
Cant. cant. 2,15 „*Capite nobis uulpes*“  
dimeter trochaicus catalecticus  
+ dim. tr. hypercatalecticus  
(ad instar uagantium strophae)

q w q a q wx  
q w q a q  
Huc mei procurrite,  
seruuli uolentes  
atque uulpes prendite  
uineam prementes!  
Tam racemis noxias  
uitibusque lentis  
sit capi fas bestias  
agminis nocentis.

Etiam sui temporis poetas Ianus nouit et amauit, duos praecipue, C. Arrium Nurum Iudaeum Americanum, postea Sangallensem, libertatis amicissimum, felle satirico saeculi uitia perstringentem (quem ipse ut magistrum meum ueneror), et Iosephum Eberle tam Suebum quam Latinum, poetam laureatum (P.L.) ab ipsa Vniuersitate Tubingensi laurea donatum. Is et metra scripsit et rhythmos, ad hos tamen propensior. In *Apellae Testamento* (op. 33) utitur uera uagantium strophae mediaeuali, imitatur autem Franciscum Villonem, François Villon. Cur hic choro cantantium Ianus quattuor cornua addiderit, nescio; sed uis ridicula inde ualde augetur, quoniam illa instrumenta sonora modo obsecundant cantui, modo magis obstrepunt.

Ex *Apellae Testamento* (1966)<sup>18</sup>  
Iosephus Eberle P.L. (+ 1986):  
*Testamentum*, str. 1, 2  
rhythmi (7 + 6 syll = uagantium strophae)

Villo uere loquitur,  
nequam et poeta:  
senex sicut uetula  
nil est nisi spreta,  
iam non habens pretium,

<sup>17</sup> *Canti natalizi: veteres melodiae Latinae*, 1970

<sup>18</sup> *Apellae Testamentum: choro mixtarum uocum cum praecentoribus et IV cornicinibus*, 1966

tenuis moneta.  
 Faciamus igitur  
 tempore decreta!

Diuiti uel pauperi,  
 malo uel honesto,  
 sapienti stupido,  
 laeto lento maesto,  
 uni cuique ueniet  
 illa dies – esto!  
 Meum autem prouidus  
 testamentum praesto.

Videtis hic interdum pugnare inter se pronuntiationem Suebicum, quae Iosepho Eberle placuit, et classicam, quam Ianus ubique, etiam in rhythmis, praetulit – qua tamen uix inter se consonant *honesto* et *maesto* (classice [*maisto*], Suebice [*mesto*] siue [*mästo*]).

Vltimum specimen Iani maxime proprium est. Nam hoc canticum fecit ad carmen quod ipse composuit. Opus est tam admirabile quam laboriosum. Ac scitis Horatium semel scripsisse oden quae constaret e solis ionicis a minore: *Miserarum est / neque amori / dare ludum ...*<sup>19</sup> et sic usque ad finem. Hoc Ianus imitatus est – non in una ode (quod parum difficile ei uidebatur), sed in plurimis, in quibus singulos deos, praesertim Musas, inuocauit. Has in unum corpusculum siue coronam cyclicam collegit, quae appellauit *Exercitia mythologica* (op. 44). Agmen Musarum claudit Terpsichore, quae, ut nomen docet, choris i.e. saltatione gaudet (nam hi ioni sui sponte aliquod tripudium efficiunt).

Ex *Exercitiis mythologicis* (1968)<sup>20</sup>  
 Carmen ipsius Iani Novák: *Terpsichore*  
 3 + 3 + 4 ionicis a minore (cum synaphia)

Hilaris Terpsichore ter pede terram  
 quatit aut forte quater: uestis aberrat  
 super album usque genu: qualia o bracchia o crus!

Non dubito, quin hoc ultimum quoque canticum uobis placuerit – quamquam equidem non ea elegi quae arrisura maxime sperarem, sed parua frustula excerpserim ea, unde uos copiam et uarietatem Nouacianam perspiceretis. In quo omisi etiam omnia quae solis instrumentis facta non attingunt litteras Latinas (sunt enim ea quoque permulta et perpulchra).

Longum iter permensi sumus, a Plauto usque ad nostra tempora, plus duo milia annorum, uiginti duo saecula. Nam haec est egregia illa natura Latinae linguae, ut ea non solum populos inter se coniungat, sed etiam, ut clerici aiunt, saecula saeculorum. Gaudemus cum risu nos quoque eis, quae Plautus olim scripsit; nec minus Plautus nostra, si cognoscere potuisset, intellecturus erat. Scilicet haec una ex omnibus linguis immortalis est. Quare Ianus Novák, cum ab homine molesto interrogatus esset, cur semper Latinae linguae, Latinis semper litteris studeret: „O bone, respondit, nil magnum est: Hoc facio tantum immortalitatis causa.“

## Libri paginaeque interretiales

Plurima de Iano Novák in pagina Nouaciana *Sodalitatis LVDIS LATINIS faciundis e.V.* (quam curat Katharina Kagerer): [http://stroh.userweb.mwn.de/novak/jan\\_novak.htm](http://stroh.userweb.mwn.de/novak/jan_novak.htm)

Ibi est omnium operum conspectus (*Werkverzeichnis*):

<sup>19</sup> carm. 3,12

<sup>20</sup> *Exercitia mythologica: uocibus mixtis*, 1968

[http://stroh.userweb.mwn.de/novak/nov\\_werkverz.htm](http://stroh.userweb.mwn.de/novak/nov_werkverz.htm)

(ubi ad Latina opera saepe uerba Latina una cum translationibus Germanicis adduntur).

Nec deest catalogus discorum compactorum:

[http://stroh.userweb.mwn.de/novak/nov\\_cd.htm](http://stroh.userweb.mwn.de/novak/nov_cd.htm)

Est ibi etiam catalogus omnium, quae de Iano Novák scripta sunt:

[http://stroh.userweb.mwn.de/novak/nov\\_schriften.htm](http://stroh.userweb.mwn.de/novak/nov_schriften.htm)

Alteram paginam Novacianam optimam, sed magis ad musicorum quam ad Latinistarum usum utilem, confecit filia eius Clara Nováková tibicina (ubi etiam opera et discos inuenies):

<http://www.jannovak.eu/index.php?menu=catalogue&lang=lat>

E libris libellisque hi maxime ad opera Latina spectant:

Draheim, Joachim: *Vertonungen antiker Texte vom Barock bis zur Gegenwart (mit einer Bibliographie für den Zeitraum von 1700-1978)*, Amstelodami 1981.

Idem: „Vertonungen antiker Dichtungen und ihre Behandlung im Unterricht“, *Der altsprachliche Unterricht* 23, 1980, H. 5, 6-27.

Rietmann, Johannes: „Amor docet musicam. Jan Nováks Cantica Latina“, *Der altsprachliche Unterricht* 33, 1990, H. 4, 5-24.

Schubert, Werner: „Jan Nováks Vertonungen lateinischer Texte“ (primum breuius in: *Studia Humanitatis ac Litterarum Trifolio Heidelbergensi dedicata* [...], ed. Angela Hornung et al., Francofurti/M. et al. 2004, 329-342). In: Idem, *Die Antike in der neueren Musik. Dialog der Epochen, Künste, Sprachen und Gattungen* Francofurti/M. et al. 2005, 175-200.

Stroh, Wilfried: „Jan Novák – moderner Komponist antiker Texte“ (primum in: *Atti dell'Accademia Roveretana degli Agiati*, a. 249 [1999], ser. VII, Vol. IX, 33-61). In: *Dino, Zeus und Asterix. Zeitzeuge Archäologie in Werbung, Kunst und Alltag heute*, ed. Inken Jensen / Alfried Wiczorek, Manhemii 2002, 249-263.

Idem: „De Iano Novák musico et poeta“. In: *Germania Latina. Latinitas teutonica. Politik, Wissenschaft, humanistische Kultur vom späten Mittelalter bis in unsere Zeit*, ed. Eckhard Keßler et Heinrich C. Kuhn, vol. 1, Monachii 2003, 195-220.